

92

tamen solum hoc intenderim demonstrare, quod multitudo moschearum arguit magnitudinem ingentem civitatis Caire et multitudinem populorum ex multitudine sacerdotum. Si enim sunt, ut dicitur, sexaginta millia moscheae, ut dictum est supra fol. 93., et quaelibet moschea habet ad minus duos sacerdotes, Soqui et Vecten, ecce quantus numerus sacerdotum, demtis Alghases (Alhages) et Nefes et caeteris judicibus, magistris et studentibus resultat.

De Mamalucis, qui sunt quasi principales in Cahiro et de eorum moribus et vita.

(B) In hac urbe Caire est multitudo maxima hominum de omni gente, quae sub coelo est, primi tamen et domini urbis dicuntur Mamaluci, id est, armati, qui potentia et armis subjectam habent patriam; modo autem omnes Mamaluci sunt abnegati Christiani, quorum, heu, tanta est multitudo facta, quod omne dominium Aegypti et Syriae de Sarracenorum manibus subtraxerunt, nec est amplius aliquis Mamalucus in patria, nisi abnegatus Christianus, nec sinunt Sarracenos militare aut arma ferre, quantumcunque sint bellicosi. Insuper ad hoc deventum est, crescente multitudine abnegatorum Christianorum et apostatarum, quod nullum Soldanum aut Aegypti regem constituunt, nisi abnegatum Christianum, quod non multo tempore fuit, nec est eis statutum, sed multitudo maxima apostatarum id fecit, quod est Sarracenis maxima poena et Christianis ingens et vituperabilis ignominia et fidei nostrae gravis ruina.

Ordinaverunt ergo, quod sit nullus Soldanus, nisi fuerit prius Christianus et post abnegationem fidei fuerit bis venditus, ut nullus homo vilis trepidet venire ad eos. Verum ne regi et eis ignominiosum videretur haec vilis conditio Soldani, factum ornaverunt historia sic paginis: dicunt enim, quod Soldanus, rex Aegypti, sit successor Joseph, quem Pharao constituit dominum terrae, postquam recessit a fratribus suis et postquam bis venditus fuit, 1. Ismaelitis, 2. Potipharo principi exercitus Pharaonis, ut habetur Geneseos 37. et 39. Sic dicunt, nullum debere esse Soldanum, nisi qui a fratribus suis Christianis recesserit et bis venditus fuerit. Puto autem, quod hanc binam venditionem addiderint ad quiet-

